



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 17. Papa Viterbium profectus hæc dissidia compositurus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

que ipso die Paschatis tormenta arci admoventur, cum vero præter expectationem major esset obsessorum repugnantia, hinc nec astus, nec vis a Cæsareis adhibita succedebat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1553.

§. XVII.

*Papa Viterbium profectus hæc dissidia compositurus.*

Porro summus Pontifex, cum de belli adeo vicini exitu sibi vereretur, Cardinalem Perusinum Ascanii Cornei Fratrem Florentiam, Sirmonetam vero Senas decernit, qui rei componendæ viam inirent: cum vero Papa hoc negotium segnius urgeri cerneret, ipse unacum Joanne Manriquez, qui Romæ Cæsarei Legati vices obibat, Viterbium venit, ibidemque easdem, quæ prius offerebantur, condiciones proposuit, in quas Imperatoris Ministri haud ægre consentiebant, eo quod Turcicam classem jamjam in altum euectam esse scirent, copiasque Neapolin necessario reducendas præviderent. Ceterum summus Pontifex huic conciliandæ pacis negotio sese ideo ingerebat, eo quod hanc rempublicam Cæsaris potestati vindicare statuisset, spe fretus, illius inaugurationem Fabiano Balduini Fratris sui Filio ab eodem concessum iri;

Thu. l. 12.

N n 5 qua-

Sæcul. XVI  
A.C. 1553.

quapropter Senensibus ejusmodi conditionem proposuit, quam ab iis nunquam acceptari probe perspexerat. Porro conditio hæc consistebat in eo, ut quidam Cardinalis reipublicæ Princeps nominaretur, qui ibidem cum mille ducentis præfidiariis permaneret. (\*)

## §. XVIII.

*Conjuratio Senis detecta.*

Thu. l. c.

Sub idem tempus Julii Salvii, qui nuper plebis Dux fuerat creatus, consilia detegebantur; hic enim cum quibusdam, qui Franciæ rebus minus favebant, consilia conferre cœpit, atque a Cosmæ Ducis Oratore corruptus, se urbis portam Hispanis traditurum pollicitus est, eidemque sese adjunxerat Hieronymus Pisanus, qui a Ferrariensi Cardinale, & Paulo Thermo ab urbis

(\*) Cum Continuator Gallis Senensium imperium fuisse ereptum ægerrime ferret, hinc in doloris lenimen, non modo summo Pontifici conciliatæ pacis gloriam invidere voluit, sed eundem etiam absque ullius Scriptoris allegati testimonio carpere ausus est, perinde ac si duntaxat Nepoti suo hujus Reipublicæ imperium afferere intendisset. Ita hodierno ævo mendaciorum sæcundus est livor in summos Pontifices conceptus.